(4.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS LEAHY,

Hibernus.

Non domus et fundus, non æris acervus et auri,
Ægroto domini deduxit, corpore febres,
Non animo curas. HOR.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

Reverendo THOMÆ O'KEEFFE,

HAS PRIMITIAS

DICAT CONSECRATQUE

AMICUS DEVINCTISSIMUS,

J. L.

J. James Woodforde Esq.
with compts from
J. L.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

Auctore Jacobo Leahy.

Ex Medicinæ annalibus colligere possumus varios morbos, qui a veteribus cogniti et descripti fuerunt, evanuisse, alios autem magis vel minus lethales ortos esse tempore futuro forsitan invicem quieturos. Inter eos, de quibus nuper certiores facti sumus, quosdam notatione valde dignos, ex ordine Exanthematum, enumerare possumus, nempe, Variolam, Rubeolam, et Scarlatinam. Horum postremum, in disputationis meæ

argumentum selegi, de quo, quam brevissime potero, dissere in animo est.

Historia Morbi.—De tempore quo primum hic morbus apparuisse fertur, nihil certi affirmare possumus; sed ex scriptis Medicorum Hispaniæ et Italiæ invenimus, Scarlatinam, in illo loco circa annum MDCIV, in hoc circa annum MDCXVIII, primum sese ostendisse. Attamen eam in Hispania originem duxisse, ea de causa putare non debemus; nam verisimile est, hunc morbum eo ex Arabia invectum fuisse, et inde profectum, ad civitates finitimas varias transiisse. Anno MDCLXXXIX ineunte, in Britannia vulgo erupit, teste Morton, qui primus hujus morbi historiam satis accurate tradidit. Ab eo tempore Fothergill, Sydenham, et multi viri eximii, eundem luculenter descripserunt. Scarlatinam in principio formam funestam induisse, attestantur omnes ii, qui eam depinxerunt, Sydenham excepto, ex cujus descriptione, sub forma mitissima extitisse videtur. Ex illis diebus in diversis hujus insulæ partibus apparuit, sæpe epidemice grassans, et sub finem autumni vel initio hyemis præcipue oriens; sed aliis anni tempestatibus quo-

que sese ostendere solet. Scarlatina, sicut aliorum Exanthematum est mos, perraro in decursu vitæ aliquem bis afficit. Hunc morbum celeberrimus CULLEN ita definit: "Synocha contagiosa, quarto morbi die, facies aliquantum tumens; simul in cute passim rubor floridus; maculis amplis tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas furfuraceas abiens; superveniente dein sæpe Anasarca."

SPECIES sunt.—" 1. Scarlatina (Simplex) nulla comitante Cynanche. 2. Scarlatina (Cynanchica) cum cynanchi ulcerosa." His duas alias species addam, nempe *Scarlatinam Malignam*, et *Cynanchen Malignam.* Scarlatina Maligna tonsillas et fauces rubore, tumore et maculis gangrænosis afficit, et a febre typhode plerumque comitatur. Cynanche Maligna eadem signa præbet, sed cutis maculis omnino caret.

Has duas species ad hunc morbum omnes fere medici, et inter eos Doctor WILLAN, pertinere assentiunt, CULLENO tamen eorum sententiis adversante. Non desunt multi auctores, neque profecto parvi nominis, qui eas esse varietates seu modificationes ejusdem mali affirmant, et nul-

lum discrimen inter eas esse opinantur, magis quam inter diversos gradus simplicis et confluentis Variolæ. Ad hanc sententiam confirmandam, experientia defleti GREGORY plurimum quoque contulit, qui hunc morbum, ex eodem fonte contagii et in eadem familia, omnes varietates supradictas, exhibere conspexit. HEBERDEN idem affirmat, ut ex Commentariis ejus apparet. Quamobrem, ob has sententias ita confirmatas, species postremas cum aliis miscere non dubitavi.—Et hæc præfatus, ad alias dissertationis partes transibo.

SYMPTOMATA.—*Scarlatina Simplex.* Hæc species, uti aliæ, a signis solitis pyrexiæ incipere solet; horrore nimirum, lassitudine, debilitate, languore, anxietate, nausea et vomitu. Hisce malis accedunt dolor capitis et lumborum, calorque qui major majorque fit, donec cutis maxime calescat. Facies turget; pulsus celer et durus, ictus inter centum et centum et viginti in horæ sexagesima parte edit. Circa diem secundum vel tertium, super cutem rubra efflorescentia apparet, quæ præcipue in facie, cervice humerisque videtur, et deinde per universum corpus diffunditur. Efflorescentia hæc coccinea est, et ex maculis exi-

guis, primum discretis, postea coalescentibus, constat. Fauces et lingua nunc inspectæ rubere percipiuntur, dolentque; ulceribus vero carent. Septimo vel octavo die, a toto corpore decidit efflorescentia; manuum epidermis aliarumque partium in laminas magnas separatur; paulo post cutis leni tepidoque sudore humere incipit, febrisque ita evanescit.

Scarlatina Cynanchica seu Anginosa.—Omnia symptomata quæ in Scarlatina simplice esse descripsi, in hac specie perstant, sed multa graviora. Anxietas et animi languor, quæsitissima opresssio præcordiorum, nausea et vomitus, dolorque capitis usque ad lumbos tendens, ægrum maxime vexant. Haud multo post membrana oris, margines linguæ et fauces latissime rubent, tonsillæ, uvula et velum pendulum palati turgere videntur, et exuviis vel crustis albidis, cæsiis vel cinereis, quibus ulcera mali generis subjecta humorem fœdum secernunt, obteguntur. Inter principia, pulsus durus et valde celer fit, cum arteriarum carotidum et temporalium pulsatione haud parva. Secundo vel tertio die, cutis rubescit et tumore doloreque afficitur, sed sine ul-

la symptomatum febrilium remissione; corporis calor longe supra consuetudinem augetur, et a gradibus centum usque ad centum et duodecim aliquando variat, ut ex CURREII observatione apparet. Præcordia dura et dolentia, alvus astricta, respiratio crebra, suspiriis fracta, et inquietudo magna vexant: interdum tument etiam glandulæ submaxillares, et aliquando, nisi curatæ, in suppurationem abeunt. Morbo crescente, oculi rubri fiunt, dolor capitis ingravescit, lux nocet, aures tinniunt, deliriumque accessionem vespertinam sæpe comitatur. Morbo decedente, omnia supradicta symptomata leviora fiunt; corporis calor et arteriarum pulsus imminuuntur; eruptio pallidior fit; cutis humescit, squamisque furfuraceis tegitur; ulcuscula faucium et tonsillarum colorem cinereum deponunt, et formam benignam induunt. Attamen quum exitnm adeo faustum non habet, sæpe in Scarlatinam malignam desinere declivis est.

Scarlatina Maligna.—Quoniam id satis compertum habemus, Scarlatinam Anginosam deteriorem et infaustiorem Simplice esse, ita Maligna plus perniciei sibi præfert quam Anginosa.

A primo morbi impetu, Maligna mirabilem virium diminutionem exhibet; anxietas et inquietudo vexant; gravitas circa præcordia fere impatibilis est. Dolor capitis, dorsi et lumborum, nausea et vomitus, imprimis angunt; fauces et tonsillæ purpurascunt et tument, maculisque fuscis vel cinereis, ulcera gangrænosa tegentibus, obsidentur. Lingua sordibus subnigris, radici præcipue adhærentibus, obducitur; sitis urget; halitusque difficilis, fœtidus et noxius est. Eruptio dissimilis est illi quæ in aliis apparet; nam maculæ supra cervicem et humeros minus sparsæ sunt, et adeo parvæ, ut quasi ex acuum punctura videantur: hæ plerumquæ serius sese ostendunt, colorem purpureum sumunt, et durationem incertam habent; respiratio crebra et difficilis est; labia nunc epidermi nudantur, et lingua adeo tenera fit, ut tactus minimus valde noceat. Calor corporis ita ardet, ut tactui sensum quasi pungentem impertiat; interdum autem haud supra gradum justum surgat. Pulsus ab ipso initio parvus et celer est, morboque ingravescente, abnormis vel intermittens fit. Acris faucium secretio in ventriculum fluit, gangrænam et diarrhœam gravissimam sæpe excitans. In hocce

morbi gradu, omnia sæpe in pejus ruunt; petechiæ, vibices et hæmorrhagiæ erumpunt; surditas, delirium et coma hisce succedunt; tendines jam crebro subsiliunt; sensus omnes externi internique hebescunt, donec vita demum exhausta naturæ concedat. Inter Scarlatinam Malignam et Cynanchen Malignam, nullum discrimen esse, cutis eruptione excepta, notatu dignum est; et quoniam alia symptomata omnia communiter habent, signa huic propria enumerare ea de causa haud necessarium est. Omnibus hujus morbi formis hydrops non raro succedit.

Causæ.—Causam Scarlatinæ excitantem esse sui generis contagionem, inter omnes medicos, ut opinor, constat. Quod ad naturam ejus attineat, nihil certi habemus, suis effectibus solum cognoscitur; sed adeo pestifera est, ut ejus disseminationi valde faveat. Hinc, halitus ægrotorum pulmonibus seu corporibus effluentes, et in cameris arctis, ubi aëris puri ingrediendi nulla licentia est, detenti, maximum fontem contagionis præbent. Causæ quæ corpus humanum ejus aggressibus obnoxium reddunt, multiplices sunt. Omnia quæ vires frangunt, corpus huic malo procli-

ve reddere putantur; hoc in numero sunt diæta parca, atque absentia alimenti nutrientis; genus vitæ ignavum, cum quo plerumque concoctio prava vel tarda sociatur; intemperantia, animus mœrore afflictus, cum multis aliis. Peculiaris corporis conditio, quam describere haud possum, ætas pubertatis, sexus muliebris magis quam virilis, et quædam cœli temperies, hanc proclivitatem augere videntur.

De Diagnosi.—Hunc morbum initio, præsertim si mitior fuerit, ab aliarum febrium accessione, secernere haud facile possumus. Sed post tertiam vel quartam diem, a Rubeola, Variola, Erysipelate, Cynanche tonsillari, vel Roseola, eum dignocere imperito tantum difficile est. Usque ad Doctoris Fothergill tempus, omnes fere auctores Scarlatinam cum Rubeola confundere solebant: sed varia sunt signa ab illo præcipue notata, quorum præsentia facile dignosci potest. Rubeola cum tussi, sternutatione, et lachrymatione primum apparet: Deinde die tertio seu quarto eruptione *purpurea* efflorescit facies; et die quarto seu quinto pectus, brachia, manusque eadem invaduntur. Rubor super has partes maculis latis,

discretis, apparet, colore cutis naturali interposito; et asperitas tactui manifesta hunc ruborem comitatur. In Scarlatina aliter res se habet, ut a supradictis colligi potest; nam nec coryza nec sternutatio nec tussis rauca adsunt. Secundo die eruptio *coccinea* apparet, et per cutem universam diffunditur.

In Variola dolor epigastrii pressi, eruptio haud ante quartum vel quintum diem apparens, et e pustulis exiguis in suppurationem abeuntibus constans, hunc morbum inter et Scarlatinam satis latum limitem figunt.

Erysipelas unam tantum partem corporis aggreditur, et faucibus rarissime nocet : pars cutis affectæ maxime dolet, et interdum vesiculis occupatur : post vulnera, vel stimulantia cuti admota, sæpe accidit, et interdum in pedes vel crura primum impetum facit. Hoc igitur inter et Scarlatinam discrimen obvium est.

Scarlatina a Cynanche tonsillari sequentibus signis distingui potest. In hac tonsillæ et glandulæ submaxillares magis tument et dolent, quam in illa : fauces aphthis perraro obteguntur; deglutiendi difficultas maxima est, et cutis efflorescentia nunquam sese ostendit.

In Roseola cutis primo vel secundo die efflorescit; hæc efflorescentia neque ex eminentiis neque papulis constat, et unius vel duorum dierum durationem tantum habet; quarto vel quinto die post accessionem morbi, omnia symptomata evanescunt: hæc, diagnosin inter Roseolam et Scarlatinam sine dubio statuunt.

Prognosis.—Omnes Medicos summa ope niti, ut in singulis morbis præsentire possint, an bonus exitus expectandus sit, an malus timendus, oportet. Talis est hujusce morbi natura, ut ea species, quæ initio eventum faustum prædixit, ad finem, sine ulla causa evidente, faciem subito mutet et dirissima signa induat, ægerque brevi, vitam morte commutet. Formam simplicem periculi parum fere comitatur. In aliis formis, si pyrexia ardens sive typhodes adsit, si fauces ulceribus gangrænosis afficiantur, si anhelitus pessime oleat, si humor acris, qui in faucibus gignitur, in ventriculum descendat, et gangrænam aut diarrhœam excitet, si vires fractæ sint, si efflorescentia subito retrocedat, et coma vel delirium superveniant, maxime nobis metuendum est; si hisce etiam addantur singultus, extrema frigida, oculi

languidi suffusi, respiratio fracta atque tendinum subsultus, hæc omnia pessimi sunt ominis, mortemque portendunt. Contra autem, si nulla ex indiciis jam memoratis adsint, faustum exitum prædicere liceat.

Ratio Medendi.—Consilia curatoria, quæ in omni Scarlatinæ forma observari debent, sequentia sunt : Febrem, si possimus, sistere sive temperare; debilitati et putredini obviam ire, vel eandem jam incipientem compescere, et quacunque ratione conari vires ægri sustinere.

Inter remedia, quibus prima consilia peraguntur, ut præcipua, emetica, aquæ frigidæ affusionem, et sanguinis missionem, enumerabo. Withering, inter remedia quibus multos hoc morbo laborantes feliciter curavit, non solum in primo, sed in omni morbi stadio, iterum iterumque emetica adhibuit. Illum cum multis aliis, eorum usu, morbum in limine præcidisse haud dubitandum est; et ob hanc causam, simul ac suspicamur ægrotum Scarlatina laborare, vomitum elicere oportet; et etiamsi ad morbum sistendum non omnino valeant, tamen, si sordes in ventriculo collectæ sint, consentiunt omnes, emetica opti-

mum esse auxilium ad quod confugere possimus. Post ventriculum penitus evacuatum plane inutilia sunt, et si impetus sanguinis caput versus nimius sit, aut si morbo ingravescente debilitas adsit, potius nocent.

Affusio frigida. — Remedium hoc mirabile longe omnium ad Scarlatinam impediendam, potentissimum est; sed ejus usus per multa sæcula omnino fere neglectus fuit, donec, paucis abhinc annis, ad id medicorum attentionem revocaverit Doctor CURRY. Ex illo tempore, maxima celebritate potitum est, et merito; nam si initio morbi cito adhibeatur, cum gradum naturalem corporis calor transcendit, et nulla est visceribus sanguinis determinatio, plurimum auxilii affert. Eo exhibito, pulsus arteriarum pleniores et tardiores fiunt, calor maxime minuitur, cephalalgia submovetur, sudor lenis somnusque exoptabilis plerumque sequuntur. De ejus usu in Scarlatina, hæc verba habet Doctor CURRY: "The plan that I follow, if called in at this early period, is to strip the patient, and dash four or five gallans of the coldest water to be procured, over his naked body. This produces its

usual cooling effects; but these are less permanent than in typhus; in one or two hours afterwards, the heat is often found, on examination, as great as before. The affusion is therefore repeated again and again, as the obstinacy of the heat may indicate. It is sometimes necessary to use it ten or twelve times in twenty-four hours." Hoc consilium igitur sequamur. Ne tamen corpus inconsulto lavemus, cavere oportet; nam si corporis superficies sudore madescat, aut ejus calor infra gradum naturalem subsidat, ab usu hujus remedii cautissime abstinendum est. Sub finem morbi etiam, quum debilitas magna adest, viresque ægri fracti sunt, præcipue in specie maligna, ejus exhibitio maximum periculum parit. Nonnullis in casibus, affusio frigida multa incommoda secum affert, et in aliis, ægri amicorum præjudicia huic remedio pertinaciter obstant; tunc, abstersionem frigidam ope spongiæ, in alterius locum supponere, maximo cum commodo possumus. Si autem propter status excitationis recessum, propter cutis calorem haud multum auctum, seu propter ægroti robur valde diminutum, de usu affusionis vel abstersionis frigidæ ambigitur, tunc corporis ablutio aqua tepida simplice, aut cum

aceto distillato commista, calorem mitigare, somnumque sudoremque inducere observatur.

Sanguinis Missio.—Medici vetustiores, humorum pathologiam amplexi, et hujusce vanis rationibus confisi, sanguinem mittere, ad materiem morbificam eo commistam evacuandam fere solebant. Recentiores contra, et præcipue Doctoris Brown discipuli, eorum sententiis restiterunt, et consilio quam maxime contrario, hujus remedii usum prorsus prohibuerunt, et roborantibus stimulantibusque in omni casu curationem committere melius esse putaverunt. Hodierni attamen, neque his nec illis obsecuti, ex signis quæ statim enumerabo, et quibus judicia sua diriguntur, an utilis vel noxia sit sanguinis missio statuunt. Si pulsus durus et validus sit; si spiritus opprimatur; si symptomata pneumoniæ vel phrenitidis sese ostendant; si glandulæ submaxillares valde tumescant; si ardor magnus, vires autem infracti; si ætas integra et corporis habitus plenus sint, et si febris formam simplicem vel anginosam assumat, tunc venam incidere maximum beneficium præbet. Sed contra, si cutis calor haud supra gradum naturalem augeatur, si pulsus parvus et

debilis sit, si fauces ulceribus fœdis obtegantur, et morbi species ad malignam inclinet, venæsectio non modo inutilis sed injuriosa esset. In memoria quoque tenendum est, propter debilitatem quocunque modo genitam, species primas Scarlatinæ ad malignam valde pronas fieri, ideoque sanguis semper quam cautissime detrahendus est.

Purgantia.—Ex libro Doctoris HAMILTON edito, et observationibus in eo contentis, eorum utilitatem in aliis morbis in quibus antea neglecta sunt, indicantibus, purgantia medicorum attentionem sibi valde vindicaverunt. Multi, purgantia in hoc morbo perniciosa esse, diu existimaverunt, sed nunc eorum utilitas experientia satis comprobata est. Morbo ineunte alvus fere astricta est, et quoniam sordes in intestinis accumulatæ insignem acorem brevi acquirunt, remedia ad eas removendas cito administrari oportet. In Scarlatina Simplice et Anginosa, teste Doctore HAMILTON, magni momenti sunt nam dicit: "I have observed the pungent heat of surface, violent headache, turgescence of features, flushing of countenance, and full and quick pulse, the earliest symptoms in some epidemics of Scarlatina,

and which may have suggested and warranted the practice of bloodletting, to be quickly subdued by one or two brisk purgatives." In provectiore morbi statu, alvum solutam servare, tantum necessarium erit; quocirca, cathartica mitiora et enemata exhibenda sunt ad eam indies movendam. Cathartica in Scarlatina et Cynanche Malignis usurpata, multis medicis potius nocere videntur, quandoquidem, ut putant, acrem faucium humorem in canalem alimentarium defe-runt, et diarrhœam urgent, quæ vires frangit, et ægrum multum perturbat. Sed alii insigni celebritate, laxantes mites, quippe quæ sordes intestina irritantes dejiciant, et eo modo diarrhœæ occurrunt, jure, ut mihi videtur, exhibere præcipipiunt. Auctor supra-citatus suas opiniones ita exponit : " While I employed them, however, I would limit their effect to the express purpose of unloading the bowels, and shun the inconvenience of inducing weakness by full purging. Under these impressions, I have formed a favourable opinion of the utility of purgative medicines in Cynanche Maligna. This opinion, howevor, is not exclusively mine; it is that of respectable authors, and it is supported by their practice." Finem morbi versus, si diarrhœa superveniat,

opio, astringentibus, et remediis quæ lenem sudorem eliciunt, cohibenda est.

De Roborantibus et Stimulantibus.—In formis malignis, cum signa putredinis et debilitatis exoriuntur, summum, imo unicum consilium est, his obviam ire, et vires ægri sustentare, vinum, cinchonam et opium adhibendo. In eodem casu etiam, acida mineralia et cibus satis nutriens facilisque concoctu valde prosunt.

De Vesicatoriis et Epispasticis. — Quidam auctores ad gutturis inflammationem minuendam maximam fidem in his imposuerunt: Vesicatoriis attamen, haud sine jure, objicitur, quod prope finem morbi, ulcera fœda et difficillima sanatu, et quæ sæpe in gangrænam abeunt, aliquando gignunt.

De Gargarismatis.—Hæc ad faucium affectionem levandam haud mediocriter valent, ideoque semper adhiberi debent; sed ea variare nonnihil pro statibus morbi diversis necesse erit. Quæ præcipue hoc consilio usurpantur, sunt, decocta Cinchonæ vel quercus corticum, infusum Rosæ Gallicæ cum guttis aliquot Acidi Muriati-

ci vel Sulphurici, et Aluminis, vel Sodæ Boracis solutiones. Sed si ulcera faucium colorem subnigrum assumant, et insensilia evadant, tunc gargarismata magis stimulantia, nempe ex infusione capsici facta, requiruntur. In infantium fauces, ope fistulæ infundi debent, cura adhibita, ut iterum rejiciantur. Per totum morbi decursum, magnopere interest, summam munditiem coli; hoc consilio, stragula sæpius mutare; ab ægri conclavi cujuscunque generis sordes cito removere, et aërem purum, maxima cura admittere debemus. Anasarcam, cui Scarlatina evanescens sæpe locum dat, si non sponte sua discedat, catharticis, diureticis, et interdum venæsectione, dissipare possumus.

A Doctore Hahneman de Leipsic compertum est, usum Atropæ Belladonæ per dierum quinque vel decem decursum præsidium prope certum in hoc contagium præbere. Ejus experientia a multis aliis sed præcipue Doctore Bernt comprobata est. Hoc consilio gr. iij. Extracti Belladonæ in Aquæ Cinnamomi ℥i. solvantur, cujus solutionis gtt. iij. puero unius anni ætatis et gtt. xx. adulto bis indies adhibeantur.

FINIS.